

Handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the entire page. The text is arranged in two columns, with the left column being significantly faded and partially obscured by the book's binding. The right column contains more legible text, featuring several large, decorated initials in red ink. The paper is aged and shows signs of wear, including stains and discoloration.

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

A V L Æ V M GRATIARVM.

URSUS  AQUILA
FINLANDICVS. POLONICA.

IN HONOREM ILLVSTRISSIMORVM,
SERENISSIMORVM, AC POTENTISSIMORVM
Principum ac Dominorum.

D. SIGISMVNDI AVGVSTI, REGIS
Poloniæ, Magni Ducis Lituaniæ, &c.

D. IOHANNIS, DVCIS FINLANDIÆ, REGNO
rumq; Suetia, Gothia, Vandalia, &c. hæredis.

D. CATHARINAE, INCLYTO HVIC DVCI, A SERENISSIMO illo Rege, fratre Germano, in matrimonium tradita.

HENRICVS MOLLERVS HESSVS.

REGIOMONTI BORVS-
sæ in officina Iohannis Daub-
manni.

*Clarissimo et doctissimo viro Dno M. Spil-
basiano Theodoro, Academiae Viri-
bergen. professori, præceptorum Coloni-
do non liberis mittit.*



A V L E V M

GRATIA

AVIA
POLONICA



VRSVS

FINLANDICVS

IN HONOREM ILLVSTRISSIMORVM

SERENISSIMORVM AC POTENTISSIMORVM

Principum ac Dominorum

D. SIGISMVNDI AVGVSTI REGIS

Poloniae, Magni Ducis Lithuaniae, etc.

ET IOHANNIS DUCIS FINLANDIAE REGNI

Magis Domini, etc.

ET CATHARINAE IMPVTRICIS AVGVSTI REGINAE

et Magnae Ducis, etc.

et aliorum

HENRICVS MOLLERVS HESSVS

REGIOMONTI BORVS

in officina Johannis Daus-

manii



A V L A E V M
GRATIARVM.

Vrsus Fin-
landicus.



Aquila Po-
lonica.

IN HONOREM

Regiae apud SVEDOS & POLONOS familiae.

Authore

HENRICO MOLLERO HESSO.

Est locus in Codanos ubi uoluitur Istula fluctus,
Finnonicum salis quem mare pulsat aquis.
Littus arenosum est, in quo preciosa relucet
Succina, & hinc rarus surgit et inde frutex.
Passibus huc ibam longis, Octobris aquosi
Tertius ut nitido surgeret ore dies,
Cumq; coronatam spectarem in littore nauim
Refluere, æquorei nobile Martis opus.
In qua Finnoniæ Dux per maria alta Iohannes
Venerat ad portus Istula clare tuos:
Tam magni dotes meditari principis amplas
Incitor, & summum uoluerè mente decus.
Quod nitidis illum circumfilit undiq; pennis,
Et longè reliquos subleuat ante Duces.
Suecia quod nouit, quod amœna, Britannia uidit,
Quod canit unanimi Prussia grata sono,
A ij Quod

Quod iam per cunctas uolat inculpabile gentes,
Quas nitida illustrat Mœnalis Vrsa face.
Dumq; figurabam tantas in pectore laudes,
Inq; sacro illius nomine totus eram.
Longius in frutices abducor, & inter eundem,
Nescio quæ mentem mouerit aura meam.
Aura suavis erat, Clario flat qualis ab horto,
Aonias equidem rebar adesse Deas.
Sistebamq; pedes, sed erat Venus alma triplexq;
(Ex habitu noram,) Gratia, coetus ouans.
Coetus ouans, tacitas qui colludebat ad undas,
In uiridiq; choros instituebat humo,
Ipsa Venus conchamq; manu, myriumq; gerebat
Crinibus, & uincto cingula pulchra sinu.
Casta quibus dicunt constringi pectora amantum,
Hæc ut idem nolint semper idemq; uelint.
Ponè Cupido decens ibat, mollesq; columbæ,
Halabatq; nouas area tota rosas.
At Charites, nexæq; manus, & corpora nudæ,
Mansuetæq; oculos, purpureæq; genas.
Præ se letitiam choreis & fronte ferebant,
Ambrosijq; pares dotibus oris erant.
Fronte pares, ætate pares, gestuq; graduq;
Ornaratq; sacrum floribus una caput.
Flauentesq; comis induxerat altera spicas,
Quoq; premebatur tertia, palmes erat,

1 amq;

Tamq̄ coarctarant faciles ter in ordine gyros,
Cum roseo præstans incipit ore Venus.
Alloquiturq̄ Deas, Terræq̄ poliç; Voluptas,
O Charites, residet quas penes omnis amor.
Quas penes est hominum iungendi corda facultas,
Absq̄ quibus, nullis gratia rebus inest.
Quod cum dimidio mensis iam tertius adsit,
Ex quo Finnonici lumina clara Ducis
Vidimus hoc primum fulgere in littore, nostis.
Limes ubi æquoreas Prusicus intrat aquas.
Venerit has cur Dux, nostis quoq̄, tantus in oras,
Nilueritus tumidi dura pericla maris.
Non equidem, ueluti Lacedæmona classe petebat
Ille Paris, patriæ fax miseranda suæ.
Ut raperet celebrem formaq̄; domoq̄; puellam,
Aut huic inferret bella cruenta solo.
Sed potius quo legitimo conamine Nympham
Quæreret, in thalamos acciperetq̄; suos.
Cuius in amplexu licite requiesceret, exors,
Quam iacit in steriles fama seuera, notæ.
Hæc Catharina fuit, soror illustrissima Regis
Sarmatici, tanti sponsa futura Ducis.
Hæc generis splendore fuit uirtuteq̄; digna,
Quam propter, longum susciperetur iter.
Difficilisq̄; labor, rapidi per inhospita Nerei
Acquora, & ignoti regna per ampla soli.

A iij Hanc

Hanc ut amabilis constringeret ille lacertis,
Huius ut imprimeret basia leta genis.
Ille decus Sueonum, Regumq; propago, Ioannes,
In Finlandiaca Dux regione potens.
Venit in has terras, & regna paterna reliquit,
Et Pelago & terra grande peregit iter.
Est iter emensus rapidas immite per undas,
Perq; Borusciaci pinguia rura soli,
Ac Lituatorum tandem peruenit ad oras,
Urbs ubi Nemenijs Cauna rigatur aquis.
Illic qua pompa sit, quodq; exceptus honore,
Qui digne possit dicere, nunquis erit?
Nullus erit. Nam Sarmatiae Rex ipse potentis,
Quo non noblior sceptrum Polona tulit,
Ille Sigismundi patris, Augustiq; Monarchae
Nomen habens, generis clara Corona sui.
Stipatus nitidae magnis Heroibus aulae,
Quos inter summus Dux Radeuila fuit,
Obuius affines uenienti factus in agros,
Hunc sibi fraterno iunxit amore Ducem.
Cumq; habeat famamq; bona formaq; Sororem,
Cui nunq; tulerit Sarmatis ora parem.
Hanc illi propriam solenni more dicauit,
Ut sit Finnonici nupta petita Ducis.
Dux igitur letus, Dux casto plenus amore,
Nemenias cupida mente reliquit aquas.

Regia

Regiaq; ad *V*iliae ripas uexilla secutus,
Hoc *V*ilnae ingreditur moenia aperta die.
Cumq; aurora nigram remouebit crastina noctem,
A nitidoq; sacrum prouebet axe diem.
Magnifico duci Catharinam more uidebit
Illius in celebres regia *V*ilna toros.
Vt uoti omnigena compos dulcedine fiat,
Præmiaq; exhausto digna labore ferat.
Si uos ergo Duci nomenq; animosq; dedistis,
Gratus ut in factis omnibus ipse cadat.
Sicq; decus Sponsæ membris & moribus amplum,
Atq; oculis uestras implicuistis opes.
Sicq; Sigismundo (qui pars ut maxima pacti est,
Sic etiam pompæ non minor huius erit.)
Virtutes Regi circumfudistis auitas,
Et patris & diui Cæsaris omne decus,
Hæc si sunt, ut sunt, uestri documenta fauoris,
Num fauor hoc dubius tempore uester erit?
Si quoq; Rex, Regisq; Soror, princepsq; Iohannes
Semper honorata uos coluere fide.
Vt coluere quidem. Num gratia uestra fatiscet?
Et uelut amisso flore senescet iners?
Imò uos gratas iam nunc ostendere mentes,
Vos iam nunc uestrum nomen habere decet.
Inq; Polonorum memorandos Regis honores,
Atq; in Finnonici nomina clara Ducis.

Inq;

Inq; sacras tædas, memorabile condere munus,
Quod sibi ab autorum uendicet arte decus.
Ergo leues tyrio suspendite stamine telas,
Piclaq; solerti ducite fila manu.
Aulæumq; nouis spectabile pingite signis,
Qualia Sarmaticæ Rex ditionis habet.
Ipseq; Finnoniæ Dux gestat qualia, uestri
Hoc argumentum nempe laboris erit.
Hæc Venus. At promptæ Charites ca iussa ca
Expediūtq; agili stamina pulchra manu. Cessūt.
Nec mora, compositis, quia uestis nulla molesta est.
Magnificum digitis experiuntur opus.
Binaq; prælustri formant insignia filo,
Sauromatum Domini, Finnoniæq; Ducis.
Hoc erat effulgens uellis lucentibus Versus,
Illud ouans Diuum principis ales erat.
Hæc caput illustri cinctum diademate habebat.
Pandeatq; alas mobilitate leues.
Atq; pedes inter, caudam flectebat, ad uncas,
In totoq; nitens corpore fulgur erat.
Ille caput nudus, fuluoq; colore superbus,
Stabat, & erecto corpore celsus erat.
Impositumq; humero, gestabat in unguibus ensen,
Aspiciens geminæ sidera clara facis,
Hæc Charites gemmis texunt insignia et auro,
Ac genij faciunt nomen habere sui.

Dumq;

Dumq; uacant operi, studioq; ardente, laborant,
Artificiq; regunt stamina picta manu.
Non tacitæ resident, non mutum munus adornant,
Sed tele adiiciunt talia uerba suæ.
Corporis ecce potens & mole & uiribus *V*rsa,
Inter honoratas gloria magna feras,
Cum primum grauida matris prodiret ab aluo
Quantula in emissa portio carne fuit?
Massa informis erat, concreti sanguinis instar,
Vix æquans catulos parue Sciure tuos.
Absq; pilis, oculisq; simul, rudis undiq; foetus,
Indiciuq; *V*rsæ uix breuis unguis erat.
Tam ualidos igitur qui nunc excreuit in artus,
Vt neq; magnanimis robore cedat equis?
Ceu calida incubitu fouet oua uolucris, & inde
Excludit sobolis corpora nuda suæ.
Sic foetum studiosa parens tegit ursa rigentem,
Et uegeto Corpus molle calore fouet.
Et noua paulatim lambendo membra figurat,
Singula dum foetus finxerit ossa sui.
Hæc quid imago docet? cupidos uult esse parentes
Formandi sobolis corda tenella suæ.
Cum mortalis homo dulces generatur in auras,
Foetibus *V*rsinis dixeris esse parem,
Non oculos rationis habet, cæcusq; rudisq;
Editur, & nullum pectore lumen habet.

B

Quod

Quod nisi uecordem fingat pia cura parentum,
Partus ut *V*rsinus, massa manebit iners.
Optime Finnoniae Dux, inclyte Sponse Iohannes,
Ingenio princeps & bonitate sacer.
Tuq; Polonorum splendor Catharina, decusq;
Nobile, tam clari Sponsa pudica Ducis.
Laus igitur uestros manet inculpata parentes,
Suedorum Reges, Sauromatumq; pios.
Quod uos informes non sunt coalescere passi,
O grauium pietas curaq; rara uirum.
Sed disciplinis animos finxere sequaces,
Moribus ut celebres sitis uterq; bonis.
Ac uirtutis iter gressu peragatis alacri,
Nec rapidis ferri frena sinatis equis.
Hæc est effigies hominis, ratione moueri,
Ut bene uirtutum grande sequaris opus.
Viuite, cumq; ætate simul uirtutibus apti,
Crescite, & illustrem prole replete domum.
Prole toro digna tali, quam corde fideli
Vos quoq; ad eximias effigietis opes.
Nec monet officij tantum grauis *V*rsa parentes,
Sed quoq; uirtutum plurima signa gerit.
Prouidus hac animus Duce commendatur, obesi
Sobrietas luxus nescia, prolis amor.
Cum sua natiua pinguedine membra grauari
Percipit, & succis corpora plena malis.

Non

Non modò naturæ formicas dote requirit,
Has ut ceu medic a tentet edatq; gula.
Atq; superuacua sic egerat ore culinam,
Mandrageræ tristes discutiâtue cibos.
Sed quoq; sponte subit ieiunia certa quotannis,
Perq; quaterdenos nil capit ore dies.
His exercitijs cum sese deuouet ultro,
Concaua retrogrado repit in antra pede.
Sicut Auentino quondam sub uertice Cacus
Impiger Herculeas traxit in antra boues.
Cur uerò resupina suis se sedibus infert?
Consulit hac uitæ calliditate suæ
Per sua ne forsan prodi uestigia possit,
Et cadere in tristes acta rapina plagas.
Nam uenatores ita prouida fallit, ut illi
Egressam reclusis passibus inde putent.
Sic in spelæis igitur, tacitoq; recessu
Dum latet, ut crescens imminuatur adeps.
Ipsaq; concocta ad cursum pinguedine fiat
Promptior, ad pugnam commodiorq; grauem.
Omnia contemnit ieiuno pabula uentre,
Et lambit solos ore sonante pedes.
Quod si forte suam ducens in pascua prolem
Instantum fuerit prensa furore canum:
Assumes aut ore suos aut tergoe foetus,
Arboris in celsæ brachia tuta fugit.

B ij Hic

Hic ne cantetur sollers industria & ingens
Cura, latebrosos qua struit ille specus.
Quaę ita communit ramis, fruticumq; tenaci
Congerie, nudi tecta cauata sui.
Ut neq; trux Boreas rapidis penetrare procellis,
Nec queat emissis irruere imber aquis.
Quis non miretur, quod tantę belua molis
Non tantum corylos exuperare queat.
Sed quoq; conscensauictrix dominetur in Orno.
Que radiosa suum mittit ad astra caput.
Eia age magne Leo, princeps celebrate ferarum,
Eia age T aure minax, eia age saeva Tigris.
Seu quęcunq; uales animis & belua neruis,
Tam facile in summas tu quoq; scande trabes.
Ast o magnorum clarissima pignora Regum,
Sponse potens animis, Sponsa decore potens.
Ut uos solliciti prudentia pectoris armat,
Contra infestorum non modo tela uirum.
Dum bene prospicitis, facitisq; per omnia caute,
Ne uos in patria Sors mala uerset humo.
Sed quoq; delitias contra, geniumq; salacem,
Lasciuumq; gulę luxuriantis opus.
Dum per opes adeo moderate inceditis amplas,
Inquinet, ut uestrum crapula nulla decus.
Sic etiam placidis in cunctos moribus estis,
Et rigida a uobis exulat ira procul.

Infontes

Infantes nullo maculatis sanguine dextras,
Nec premitis turpi subdita colla iugo.
Ut quoque non homines temere, nisi laesa, molestat,
Aut reliquas saevis unguibus Versa feras.
Sed uel graminibus, uel opimis uescitur uuis,
Aut fronde, aut grauida fruge uirentis agri.
Namque uelut medico formicas attrahit usu,
Hac quoque mente uagas depopulatur Apes:
Praedaturque fauos, ut eas irritet ad iram,
Quo fodiant telus ipsius ora suis.
Ac humore caput, tumidaque grauedine plenum,
Sanguinis affluxu deteriore leuent.
Si tamen illicito placidam commoueris ausu,
Ut dolor et feruens bilis in arma ruat.
Non impune feres, armata est unguibus uncis,
Mole superba, potens robore, uoce minax.
Aut tibi ui magna colaphos infringet acerbos,
Aut rapido exuta detrabet ungue cutem.
Exiit ut uictum cantando Marsyan olim
Nominis assertor furtis Apollo sui.
Non siquidem ualidis Versa est imbellis in armis,
Ad lucas animos et graue robur habet.
Quod neque Rex facile ipse Leo tentauerit, audet
In tumidum magnis uiribus ire bouem.
Cum tantoque manus committere fortiter hoste,
Sit licet infestis cornibus ille potens.

B ij Hic

Hic neq; furatur claræ præconia palmæ,
Insiliens uicti tergora nuda bouis.
Cornua sed potius certamine captat apeto,
In duramq; graui pondere sternit humum.
Quisquis es hostilem qui uim meditaris & arma,
Contra Finnonici iura paterna Ducis.
Quiq; furente paras insignia tangere dextra
Illius, armipotens in quibus *V*rsamicat.
Non tanges impune, feres alapamue necemue,
Aut in sanguineam deijceris humum.
Non habet *V*rsa manus siquidem Finlandica tan-
Te quibus ingenti clade ferire queat. (tunc
Sed quoq; fulmineum gerit uncis unguibus ensem,
Quo tibi triste potest dissecuisse caput.
Quin stat, ut ad fortem uideatur idonea lucram,
Opprimere obstantes impare mole solet.
Quid ualeat, q; pugnet atrox, quo fulminet ense,
Tensisti ualida Mosce repulse manu.
Cum premeres acri Finlandica rura cohorte,
Atq; *V*iburgiacos Marte furente lares.
Tunc tibi non tantum colaphos inflixit atroces,
Ut grauidum gereres ore tumente caput.
Sed quoq; lætales immisit cuspide plagas.
Inq; paludosas præcipit aut aquas.
Finnonicosne iterum collecto milite fines,
Ut tolceres *V*rsæ flagra, Rutene petes?

Sic

Sic omnes colaphis, & acutis ensibus hostes
Contra Finnonicas excipiantur opes.
Est equidē placido Dux pectore & ore Iohannes,
Id quod & impositi nominis omen habet.
At ueluti catulis spoliata suauibus *V*rsa,
Aut per odorisequos extimulata canes,
Amplius haud digitos tranquillo murmure lambit,
Sed rapido in patulos impete fertur agros.
Hostemq; insequitur, magnosq; fragore lacescit,
Arreptosq; graui dissipat ungue canes.
Sic etiam saeuos uiolentis uiribus hostes,
Finnonicos cupient qui spoliare lares,
Indigenisq; suam lituis turbare quietem,
Et miserē incensas depopulare domos.
Ille pijs animis inuadet, & acribus armis,
Ac dirimet saeuos *M*arte potente globos.
*V*rsus erit, caedisq; graues cumulabit aceruos,
Exertoq; truces reprimet ense uiros.
Ac ita legitimos patriæ defendet honores.
Et teget inuicta subdita rura manu.
Salue Finnoniæ Dux & pater inclyte gentis,
O Charitum salue Pieridumq; decus.
Dissiliat nunquam gladius, fiatue retusus,
Gestat in insonitum quem tuus *V*rsus opem,
Hoc tu iusticiam, ius hoc tutare uerendum,
Non frustra gladium Dux animose geris.

Conuictis

Conuictis scelerum poenas impone seueras,
Neuis innocuos fac premat ulla uiros.
Sit tibi relligio. Res sit tibi publica curæ,
Ipsaq; pierij fama salusq; chori.
Et cætus defende pios, uerbiq; ministros,
Vltor Elisæi sic senis Vrsus erat.
Non opus est hic plura tibi præscribere, nosti
Quod sit honorati munus opuq; Ducis.
Hoc tamen addemus, cuius nos admonet Vrsæ
In mures odium non mediocre uagos.
Vt Syrenæos sic execrere Gnathones,
Qui deferre bonos innocuosq; solent.
Sunt isti ueluti mures, falsiq; leuesq;
Et nihil integræ mentis & artis habent.
Non est tota tibi præ muribus ulla supellex,
Inuadunt ipsas inficiuntq; dapes.
Nil non corrodunt, nil non & inutile reddunt,
Sarcina totius perniciēsq; domus.
His delatores, his noxia facta Gnathonum,
Confer, eis aures nec dabis ipse tuas.
Hæc uia, sicut adeps uolucres Vrsina capillos
Munit, erit capiti lumen honosq; tuo.
Hæc uia te nitido Dux inferet inclyte cælo,
Ac dabit ut summo stet tua fama loco.
Cumq; Vrsa, cælo quam secula prisca sacrarunt,
Verticeq; in nitidi constituere poli.

In stabili

Instabiles nanq̄ mergatur in æquoris undas,
Sed radios spargat semper in orbe suos.
Tu modò, ceu resoni per summa pericula ponti
Clara uagabundas dirigit *V*rsa rates.
Sidus honoratum facibusq̄ insigne coruscis,
Hos rege, qui tendunt ad tua signa manus.
Præcipue sacris fac illucescere Musis
Nantibus in tristi nobile lumen aqua.
Non absconde tui cœlestia lumina uultus,
Aspice mœrentes, sollicitasq̄ iuuua.
Et duc è scopulis, breuibuscq̄ undantis arena,
Monstrans, ad portus ostia tutam uiam.
Sic tibi perpetuas operoso carmine grates,
Quas probet atq̄ uehat laudibus orbis, agent.
Hæc satis est cecimisse grauis de laudibus *V*rsi,
Eimmonici clypeus quem Ducis acer habet.
Nunc *Louis* ales ades, tibi nunc præconia fient,
Insigni siquidem Regis in orbe uolas.
Regis honorifici, cui tota Polonia paret,
Cuius & ex uno est Sponsa parente Soror.
Ille *Sigismundus* siquidem, cui cuncta tulere
Secula uix Regem Marte togaq̄ parem,
Cum quo se *Cæsar* uel ad æthera dixit iturum
Sponte, uel ad *Stygias Aemilianus* aquas.
Ille *Bonæ thalamis* felici sidere iunctus,
Sphorciadum *Catia* qua fuit orta domo.

C

Hinc

Hinc sibi & Augusto similem, non nomine tantum,
Omni-gena Regem sed quoq; laude tulit.
Hinc tulit & puro Catharinam pectore castis,
Ac nitido pulchris matribus ore parem.
Quam nisi Rex tantus tanta de matre tulisset,
Finnoniæ coelebs Dux obiturus erat.
Sic igitur consors Aquilæ est Catharina, parentes
Illius in clypeis hæc quia signa gerunt.
Ergo nunc Iouis ales ades, Regina uolucrum,
Ad celebresq; bona labere sorte toros.
Ipsa uenire soles magnarum nuncia rerum,
Et ferre auspicijs omnia læta tuis.
Exitus est, quoties te tollis in aëra, prosper,
Omne nunc igitur te quoq; tolle bono.
In Sponsi Spousæq; decus, laudesq; superbas,
Inq; Sigismundi nomina Regis, ades.
In magnos horum te uoce canemus honores,
Ut bona des tantis omina rebus ades.
Tu merito in Regum clypeis fulgesq; uolassq;
In te, quod Reges intueantur, habent.
Ex te uirtutes Regum, moresq; relucunt,
Corporis es præstans ingenijq; bonis.
Hinc, ut quadrupedes inter Leo fortis et *Vrsus*,
Inter aues merito regia sceptrâ geris.
Vnde sed huius erunt exordia carminis? in te
Præclaræ titulos omnia laudis habent,

Quod

Quod Lynx quadrupes oculis est inter acutis,
Hoc tu cernendi uiribus inter Aues.
Aspicis aduersum constanti lumine Solem,
Hacq; probas pullos conditione tuos.
Inuolucres siquidem radijs solaribus offers,
Ac facis in clarum lumina ferre iubar.
Hic qui conuiuent, & ad ignem Solis hebescunt,
Hi ceu degeneres reijciuntur Aues.
At sua qui iaciunt in apertum lumina Solem,
Hos ceu legitimas rite tueris Aues.
Sic ne sit generi Regum stirps indecor alto,
Illos sollicita mente cauere decet.
Progeniemq; suam cura exercere fideli,
Discat ut aspectus sustinuisse graues.
Nec, uelut horret iners ardentem Noctua Phœ-
Sortis ad ambiguas langueat illa uices. (bum,
Quin eat aduersus uentos audentior omnes,
Intrepidoq; truces dissipet ore minas,
Tales uos geniti magnis à Regibus estis.
Tu Rex Sarmatici firma columna soli.
Tuq; Soror tanti Regis, tuq; inclyte princeps
Finnoniæ ô forti pectora digna domo.
Tales & uestri semper uixere parentes,
Aduersæ timidi sortis ad arma nihil.
Clara Sigismundi quis nescit lumina Regis,
Quæ potuere faces non modò ferre graues.

C ij

Sed

Sed quoque ui fortes acieque repellere flammam.
Quas ferus in tristes mitteret hostis agros.
Ceu foret is Moscus, seu forti Tartarus arcu,
Seu Geta seu polleus præpete Dacus equo.
Sic quoque constanti Gostauus acumine Danos
Reppulit, & vires crude Rutene tuas.
Aduersique gregis simul insidiasque minasque
Acribus aspexit sustinuitque genus.
Quin & Maiores clarissima lumina vestris,
Et uetus & sanctum ducitis unde genus.
Ad sacra fecerunt ueri spectacula Solis
Imperij gentes tollere corda sui.
Ad Christi ex graubus duxerunt regna tenebris
In uera populos religione suos.
Gens Idola suo Lituamica more colebat,
Hanc tulit ad ueram Rex Jagello fidentem.
Atque Vladislai nomen baptisate lotus
Sumpsit, Auus patris regia Sponsa tui.
Quid de Gostauo Suedorum Rege canemus,
Quam fuerit sanctæ religionis amans?
Quodque suis densa graubus caligine regnis
Reddiderit clarum luce micante diem?
Quod Lapios nemorum per deuia saxa uagantes
Institui in uera iusserit ille fide?
Cum pia tam sancti norint conamina Regis
Qui sub Mornalio uertice cunctique iaceti.

○

O manes saluete pij, plenisque nepotes
Aspicite in uestrum passibus ire decus.
Scilicet haud Aquilis pulli generantur inertes,
Sed qui magna sui corda parentis habent.
Qui non aërijs tantum dominantur in oris,
Clarius ac reliquæ dum speculantur Aues.
Sed quoque qui uolucrum non cedunt uiribus uti
Corporis, aut animi nobilitate sui.
Non modo cum nigris siquidem decernere coruis,
Aut timidos lepores exagitare solent.
Sed quoque uictores auido cum uulture certant,
Cumque Ambus, præde quas inhiare sciunt.
Has ex uicinis abigunt hostiliter oris,
Finibus inque suis non habitare sinunt.
Ut quoque non ipsi loca per uicina, sed omnes
Longinqua prædas e regione petunt.
Hæc ita prælustres imitari conuenit Aulas,
Ne subiectorum deripiantur opes.
Ne misera insolitis oneretur turba tributis.
Non cute, sed nudat uellere pastor oues.
Non spoliare suos Ducis est, sed ritè tueri,
Corda boni princeps debet habere patris.
A ceruice procul discrimina dira suorum
Arceat, & tutas reddat ubique uias.
Immanesque graui compescat Marte latrones,
Inque bona faciat uiuere pace suos.

C ij Vos

Vos equidem has magna uirtutes laude refertis,
Vos quibus hæc tereti dona parantur acu.
Vt non iniustis premitur gens uestra tributis,
Sed quæ pro ueteri pendere more solet.
Sic cum nec securus opum nec corporis oras
Per reliquas carpat sæpè uiator iter.
Sarmaticas impune datur penetrare per oras,
Nec per Finnonicam prædo timendus humum.
Vt mures tolerare uagos Finlandicus Versus,
Sarmatæ rapidas sic nequit Ales aues.
Imò Aquila in sæuum quoq; concitat arma Draco
Qui petere insidijs ipsius oua solet. (nem
Arripit hunc, alteq; uolat, perq; aëra raptò
Implicat incuruos impetuosos pedes.
Quoq; magis squammis serpens crepitantibus horret,
Quoq; magis lingua sibila rauca uibrat.
Hoc ea luclantem rostro magis urget adunco,
Vulnifico spiras hoc magis ungue premit.
Sic grauis intrepido faciat quoq; pectore princeps,
Ipsius imperio si quis obesse uelit.
Viribus iniusto magnis eat obuius hosti,
Vt patrios acri protegat ense lares.
Et tu præcipue Rex expergiscere, sceptro
Pectora Sauromatum qui generosa domas.
Quoq; Aquilæ gestas insignia, fortibus ausi
Quæ bene Maiores promeruerunt tui.

Cernis

Cernis, iniqua instar meditantum damna Dracoe
Imperio Moscos appropere tuo. (num,
Insidiasq; tuis uiolenter ponere castris,
Inq; tuum curuis arcubus ire solum.
Scis quoq; quas urbes, scis quas euerterit arces,
Quasq; animas dederit barbara turba neci.
Quae tulerit, quae damna ferat, quae postmodo, ut
Occurras ualido tu nisi Marte, feret. (clor
Ergo age Rex exurge potens, Aquilaq; potentem
In fera Moscorum castra uolare sine.
Auxilio Lituanus Eques fulgentibus armis,
Finnonicusq; suis unguibus Versus erit.
Sarmatiae proceres etiam sua tela capebant,
Si cernent Aquilae signa uolare tuae.
Teq; ardore pio per cuncta pericla sequentur,
Non poterunt Aquilam deseruisse tuam.
Tu modo Rex cognosce tuas & collige uires,
Istaq; pugnaci monstra laceesse manu.
Ast Aquilam praestantem alis uolitare docemus,
Scis bene sceptriferi munus opusq; uiri.
Utq; tuum munus nosti, sic fortiter illud
Niteris ac patria sustinuisse fide.
Es uigil, utq; uiros Moscis opponis alacres,
Ne Lituanorum depopulentur agros.
Sic tibi prompta tui non deest fortuna parentis,
Quo Muscus toties auspice terga dedit.

Nonne

Nonne represisti factis iam fortibus hostes?
Iure Sigismundi nobile nomen habes.
Et simul Augusti. Victor feliciter auges,
Ac patrij extendis nomen opesq; soli.
Perge, nec alma tuos Victoria deseret ausus,
Hac Aquilaq; edis facta stupenda Duce.
Victor ages uicto sublimes hoste triumphos,
Et forti statues alta trophæa manu.
Utq; auium plumas aliarum absumit edendo
Vis, pennis Aquilæ quæ uehementis inest.
Sic tua, Rex, uirtus aduersos conteret hostes,
Moscorum fragiles comminuetq; globos.
Perge, Aquilamq; uelut candentem corpore gestas,
Cui premit auratum fulua Corona caput.
Sic caue, ne summi nitor olfussetur honoris,
Qui genus illustrat, Rex animose, tuum.
Sed nos ad Sponsi laudem, Sponsæq; reducit
Tela ferè ad finem continuata suum.
Laude Sigismundus tamen haud semotus ab illa,
Virtutes Aquilæ dum meditamur, erit.
Ut super excelsam Louisa ales in aëre rupem
Sollicita nidos construit arte suos.
Eductisq; facit pullis habitabile saxum,
Ante quod haud ullis utile rebus erat.
Ad quod difficiles aditus hominiq; feraq;
In quo tutari seq; suosq; queat.

Sic.

Sic loca uos inculta prius, neglectaq; passim
V sibus agricolæ redditis apta uiri.
Dum plantatis agros, syluas excinditis, hortos
Conseritis uillas extruitisq; nouas.
Oppida dum fossis, dum uallis cingitis arces,
Erigitisq; suis plurima castra locis.
Quæ rapidos possint contemnere fortiter hostes,
Et sufferre minas Mars animose tuas.
Sulphoreosq; globos, & adusti fulminis ignes,
Quodiacit horreudis machina abena sonis.
Scilicet hac uestros æquatis laude parentes,
Quo possitis eos uincere, tempus erit.
Surgere tot ualidas illis autoribus arces
Per Sueonum pingues Sauromatumq; plagas.
Quem lateat, nisi cui non nota Polonia diues,
Aut cui nota parum Suecia, nullus erit.
Nos tamen hic memorare iuuat cum diuite *Vilna*
Cracouie miris atria structa modis.
Cumq; Cameneco, Sandomiriaq; superba,
Ardua quæ nomen castra Leonis habent.
Hæc cum Corcinio Rex sumptibus extulit amplis
Sarmatiæ, genitor regia Sponsa tuus.
Hic quoq; Gostauæ monumenta ingentia Regis,
Sponse tui patris, commemorare iuuat.
Arces Finnoniæ, Moscorum busta *Viburgum*,
Aboiamq; domum Dux generose tuam.

D Magnis

Magnificasq; potens quas Suecia possidet, arces,
Holmanasq; domos, Calmaricosq; lares.
Vpsaliamq; altam, muniti castraq; Griphis,
Vastenumq; potens, Nilosumq; recens
Sed quis cuncta queat, tantorum industria Regum
Que statuit, dignis enumerare modis?
Ad vos sermo redit tantorum pignora Regum,
Vos quibus omnino cernimus esse pares.
Siue serenatae meditemur frontis honores,
Seu uirtutis opes, ingenijq; decus.
Nil sine consilio, temere incauteq; mouetis,
Impete non debent regia corda rapi.
Nil uestris etiam tentatis uiribus impar,
Icarus ut uos hoc cum Phatonte monet.
Imo ut nos Aquila monet admirabilis astus,
Omnia quo caute sollicitaq; facit.
Non siquidem quenq; pernicibus impetit alis,
Quam cui se credit uiribus esse parem.
Nec, si campestem cupido petit ungue rapinam,
In terram praecipit illa repente ruit.
Sed sensim properat faciles demissa per auras,
Impete in aduersa ne uioletur humo.
Haudq; statim quam cepit ouans indagine praedam
Deorat, ut rostro coruus hiante solet.
Ne quis eam subitis incursibus obruat hostis,
Ut misere incauti saepe perire solent.

Sed

Sed prius explorat vires: ac omnia circum,
Quam prædam uictrix in sua castra uehat.
Ingenij quis non aciem miretur, & artem,
Viribus exuperat qua potiora suis?
Est munita caua testudo cortice crustæ,
Intra quam tuto se cohibere potest.
Hanc igitur captam si non dissoluere rostro,
Aut Aquila in cruo nobilis ungue ualet.
In saxum liquido demittit ab aëre, uesci
Illius ut, rupto cortice, carne queat.
Quid cum cornigero referamus prælia Ceruo?
Ac tantam superet qua ratione feram?
Scilicet ad pugnam descensura periculum,
Voluit in arenti se prius illa solo.
Indeque pugnacis uolitans in cornua Cerui,
Insidet, atque alis uerberat ora suis.
Inque oculos, pennis collectam, spargit arenam,
Cervus ut in rupes exoculatus eat.
In præcepsque ruat, fractoque inglorius osse,
Præda coronatæ splendida fiat Aui.
Hoc Aquilæ ingenium est, prudensque per aëra lapsus
Vincit inæquales hac ratione feras,
Sic quoque prudentes uos diximus esse, bonosque
Ingenio, sanis consiliisque graues.
Ac circumspectos, animisque per omnia cauti,
Vix agere, ac motu feruidiore nihil.

D ij

Vos

Vos ex Sarmatico prognatos sanguine Reges,
Quorum clara Louis scuta minister habet.
Te Rex o Regum nulli uirtutibus impar,
Actanti Herois te Catharina Soror.
Atq; Ducem te Finnoniae, qui proxima Rege,
Foedera cum tanto Sposus inire paras.
Ipsius affini ducturus lege Sororem,
Foedera quo nequeunt proximora peti.
Nec quoq; degeneres ab auitis moribus estis
Ut uestrum sordes inquinet ulla decus.
Tt uel auaritia, uel atrocetyrannidis hamo,
Arripere alterius forte uelit is opes.
Aut facile ulcisci fatui deliria uulgi,
Aut capere ob quosuis arma cruenta sonos.
Sicut o est Aquilae grauitas innoxia, cuius
Hinc liquido agnosci mens generosa potest.
Quod neq; ceu uecors, aliena cadauer a tangat,
Haudq; animal, quod non coeperit ipsa, uoret.
Quod, licet insultu Cornix odiosa lacepsat,
Ac uelut obiecto crimine, in arma uocet.
Ipsa tamen pennis o rostro immota quiescat,
Haudq; sit iututu seua, nec ungue minax.
Nec plus Cornicis faciat conuicia, prestans
Ac Elephas strepitus Musca proterua tuos.
Plurima eruli gannit plebs futilis ausu,
Verbaq; per plateas liberiora iacit.

Quae

Quæ uelit austerus si cuncta refellere princeps,
Quando cruoris inops illius ensis erit?
Cornices igitur tales transmittat, ut alta
Acer Equus querulos præterit aure canes.
Ut quod; uos facitis, non semper acumine ferri
Terribiles, læta sed quod; pace boni.
Sic quoties Volucrū graditur Regina per agros,
Incluso digitos contrahit ungue suos.
(Ceu solet ipse Leo.) curuos ne deterat ungues,
Sed grauiam integros seruet ad acta pedes.
Ut gerere imperium, sic conuiuere potestis,
Sæpius utendo fu bonus ensis hebes.
Parcitis, ut superent grauiores postmodo nerul,
Si non uos grauior parcere culpa sinet.
Si reprimendus erit pacis turbator & hostis,
Seditioq; furens, terribilesq; latro.
Si poena cohibenda graui periuria, cædes,
Impietas, fraudes, furta, nefanda Venus.
Tunc non cessatis præacutis unguibus uti,
Tunc aciem gladius iuraq; uester habet.
Nam uelut arma Ioui Volucrum Regina minis
Quæ iacit in fontes de super ille uiros. (Strat.)
Sic geritis uos tela Dei, sic illius estis
Armigeri, & scelerum pleclitis omne genus.
Omne genus scelerum, quod cœli offendit honores,
Et rabie humanum turbat atroce genus.

D ij Ve

Vt uerò nocuis poenas imponit is a quibus,
Protegit is patria sic pietate bonos.
Ac inopes uictu, miserosq; fauore iuuatis,
Et querulis prompto pectore fertis opem.
Non modò quos uestris fors in ditionibus urget,
Sed quoq; qui uestram cunq; precantur opem.
Hæc etiam mens est Aquilæ & natura potentis,
Dulcis ut esse piæ Regis imago queat.
Non siquidem tantum proprios educere foetus,
Et tegere aduersus cuncta pericla solet.
Sed peregrinarum quoq; pullos ipsa Volucrum,
Eiectos nidis à genetrice, fouet.
Est ales uacuis pietate Gypætus omni,
Quem premit æternæ sollicitudo famis.
Implumes pullos, & adhuc ope matris egentes,
Turpiter è nido deijcit iste suo.
Hos Aquila, illustri celebris pietate fideq;
Suscipit, ac omni ritè tueur ope,
Suppeditatq; cibos, & alacriter educat, ætas
Donec eis uires præsidiumq; ferat.
O ingens pietas, digna ô Iouis alite uirtus,
Quæ fera, quæ tantæ est integritatis Auis?
Sunt equidem, quæ pro pullis animalia pugnent,
Et quæ pro dulci compare in arma ruant.
Quæq; libenter alant grandes ætate parentes,
Quæ benefactori sint quoq; grata suo.

Sed

Sed peregrinorum prolem quæ pascere tentent,
Atq; fouere suis sedibus, ecqua dabis?
Hunc igitur solus retinet Iouis ales honorem,
Hæc etiam uirtus maxima Regis erit.
Vt pius & clemens uiduas tueatur & orbos,
Inq; sua placidus sit ditione pater.
Vos equidem Reges, Regumq; propago, capaces.
Qui regitis, propior quas uidet Vrsa plagas.
Vos tales estis, placidiq; boniq; piq;
Atq; salutiferi regna per ampla patres.
Sicq; obscuratis reliquos hoc lumine Reges,
Vt rutilum Phœbi cætera signa iubar.
Imò, Aquila alarum sicut uirtute uolucres
Exuperat, uacuo quoquo in orbe uolant.
Hoc ipsa in cœlo siquidem, quod in æquore Delphicæ
Quodq; leui in terra mobilitate Tigris.
Sic uos sic meritis Reges excellitis omnes,
Nomen honoratæ qui pietatis habent.
Pergite tam claræ uirtutis honesta tueri
Nomina. Rex par est hac bonitate Deo.
Sic uelut haud pennas Aquilæ putredo resoluit,
Labes in uestrum non cadet ulla decus.
Sic, Aquila illustris uelut inter sidera fulget,
Namq; locum in cœlis, sicut & Vrsus, habet:
Laude per immensum clara fulgebitis orbem,
Dum capiat Volucrem Cochlea tarda Iouis.
Quia

Quin uos participes faciet post funera honorum.
Quos Deus aetherea reddet in arce pijs.
Et Capita aeternis praecinget uestra coronis
Sanctorum in Regum constituetq; choro.
Sed quò nos Aquile rapiunt proconia? Virtus
Quò nos uestra sua cum pietate rapit?
Quò nos uester honos (sanctorum ô inclyta Regum
Progenies,) quò nos, gloria uestra rapit?
Omnia sunt Aquile & uobis communia: At unum
Ales uobiscum quo facit illa nihil. (est
Hostis Apollineos Aquila auersatur Olores,
Inq; quiescentes bella nefanda mouet.
Bella quidem uiolenta mouet, sed uicta recedit
Semper, in ignauam fortiter acta fugam.
At uos Aoniae uolucres defenditis undae,
Et placida illarum conditis aure sonos.
Vos illis zephyros finitis spirare fauentes,
Carmen ut arguto gutture suaue canant.
Vos doctis benefacta uiris maiora tulistis,
Quam facili quisq; uoce referre queat.
Et locus & tempus nos impedit, illa que amus
Quò minus hic dignis enumerare modis.
Rex Auguste tuum quis recte dicat amorem,
Quò sacra pieridum tecla chorumq; foues?
Transit ubi tardo laudabilis Istula fluxu
Cracouiae magnas armipotenti opes?

Aui

Aut o Finnoniae Dux fortunate Iohannes,
Quis digno laudes tollat honore tuas?
Quas tibi promeruit tua magnificentia, in oris
Quam meminit Sueonum non modo terra suis.
Sed quam stagnanti quoque cincla Britannia ponto
Novit, et ad caeli laudibus astra uebit.
Imo quam nuper celebrata Borussia sensit,
Ac ideo aeterna te pietate colit.
Prussia certatim te laudibus extulit amplis,
Et tua certatim dextera dona dedit.
Hoc Dantiscanae qui praeterlabitur urbis
Moenia, diffusis Istula iacet aquis.
Hoc Elbinga graui testatur uoce, sacerdos
Bregela, quae triplici Regis in urbe sonat.
Dux ipse Albertus, Musarum tutor et hospes,
Qui grandi Aoniam sustinet aere domum.
Ingenuosque uiros fouet, amplexatur, alitque,
Hac ut adinueniat uix sibi laude parem.
Ipse tuam tanti miratus principis arcam
Fundere tot doctis munera sponte uiris.
Est charis placido gratatus pectore Musis,
De tam munifici corde fauente Ducis.
Dicite Pierides, spectacula dicite quando
Videritis Clarito tam bene grata Choro?
Ac dum uidistis Iuuenemque Senemque triformi
In Regis tantos urbe coire Duces?

E Tam

Tam magni generisq; Duces animiq; perennē
Qui uestrum curant religione decus?
Sed quò digredimur? te Dux præclare Iohannes
Maior honorifico nomine fama leuat.
Maior & Augustum circumdat gloria Regem,
Propter opem, Aonias qua recreatis Aues,
Aonios cygnos. & amantes carmina Vates.
Ac in cuiusquam plectra uenire queat.
Nemo quidem laudes dignouebet impete, uobis
Quas pius in Musis conciliauit amor.
Attamen altorum constans industria uatum
In decus & uestrum non pigra nomen erit.
Per titulos ibit magno certamine uestros,
Regibus ingrata hæc non solet esse cohors.
At uos candentes tutari pergite Cygnos,
Quos fons Aonij syluaq; montis alit.
Sic, ut Cygni Aquilas, superetis fortiter omnes,
Improba qui uestris bella minantur agris.
Pergite de Musis bene præclareq; mereri,
Pergite doctorum fata leuare uirum.
Sic sua cum nostris coniunget carmina uotis,
Ac fundet placidas Musica turba preces.
Ut uelut una Iouis non iclu fulminis Ales
Tangitur, è coelo quod crepitante ruit.
Sic faciat, qui regna Deus stabilire potentum,
Qui transferre simul maxima regna potest.

Vt

*Vt nunquam rerum uos noxia fulmina ledant,
Omnia sed uestris prospera rebus eant.
Ac licet (ut nihil est hominum inuiolabile semper,)
Adferret pluuium sors aliquando diem.
(Vt quoq; non Aquila est semper discriminis ex-
Sed graue deliquit, quando senescit, habet. (pers,
Tunc siquidem densa caligine uisus hebescit
Illius, ac pennas triste fatigat onus.
Ac tantus rostro fornix accrescit, ut illud
Ipsa quoq; esuriens non aperire queat.)
Vos tamen haud adeo sors ista coerceat, ut non
Aditum felix inueniatis iter.
Per quod possitis tristes euadere casus.
Et facile ambiguas exuperare uices.
Idq; Aquilæ, uobis hic quam depinximus, instar,
Mirificis cohibet quæ sua fata modis,
Cum siquidem rostrum sic incuruatur obuncum,
Vt capere occluso non queat ore cibos.
Ad rigidam crebro delabitur impete rupem,
Hancq; indefessa strenuitate ferit.
Donec abundantem rostri ceu deterat arcum,
Detur ut ad solitos inde redire cibos.
Cumq; oculos caligo grauat, pennasq; senectus,
Balnea fontanæ uiua requirit aquæ.
Inq; salutare (mirum) ter mergitur undas,
Atq; per has recipit lumina clara uices.*

E ij Ee

Et renouat tali ueteres aspergine pennas,
Adq; inuentutem demq; tota redit,
Exiit effœtos, uiridesq; recolligit annos,
Ac uolucrum princeps post, uelut antè, manet,
Sic quodq; uos igitur, Regum decora ampla paren-
O Sueonũ excellens Sauromatumq; genus: (tum,
O simul & Reges, simul & stirps inclyta Regum,
Fortunæ infelix excutiatis onus.
Aeternoq; Aquilæ superetis honore senectam,
Ac senij immensas possideatis opes.
Sed tamen offensas non suslineatis amaras,
Frigida quas secum ferre senectæ solet.
Quin usq; in uiridem redeatis & usq; iuuentam
Perq; alacres Veris semper eatis agros.
Dum tandem uos astra uocent. si Sponsa Sibyllæ
Vixeris, & Pylis tempora Sponse Ducis.
Hic erat Aulæi cum carmine finis & ipse
Consurgunt Charites, excutiuntq; manus.
Sepomunt calathos & acus atq; aurea fila,
Et soluunt telæ stammina pulchra nouæ.
In medio depictus erat Finlandicus Vrsus,
Armatus ualidos ense micante pedes.
Ponè Aquila in simili rutilabat Sarmatis orbe,
Cui nitidum ornabat fulua Corona caput.
Ille uidebatur uelut hanc ambire, uicissim
Ilius in cupidos hæc properare sinus.

Extrema

Extrema agnatis lucebat fimbria signis,
Hic Eques armati terga premebat equi.
Fortis Eques, gladio exerto spectandus & armis,
Quæ Lituanorum signa Ducatus habet.
Illic tergemina fulgebat imago Coronæ,
Quæ sunt imperij, Suecia, signa tui.
Hic Leo transcendens longa tria fulmina saltu,
Quem Gothia insignis erigit ampla suis.
In trifidos illic collecta insignia fasces
Quos gerit in clypeis stirps V uasiana suis.
Iuclyta stirps, Regem contingens sanguine Ericum,
Qui sancti e Regum stipite momen habet.
Qui Sueonum gessit sacris diadema capillis,
Atq; triumphali sceptrum decora manu.
Conradus Sueuis quo tempore Cæsar habenas,
Quoq; Boleslaus sceptrum Polona tulit.
Ille Boleslaus, cui Crispi nobile nomen
Cæsares cirris conspicienda dedit.
Pars operis contexta noui fuit ultima signis
Talibus, hæc miri forma tapetis erat.
Ipse aspirarant Charites geniumq; decusq;
Pulchrius, ac hominis dicere lingua queat.
Diua Venus comitum cernens monimenta suarum,
Sunt opera hæc tantis digna Deabus, ait.
Inq; tori illius claros que dentur honores,
Quem manibus stravi molliter ipsa meis.

E ij

Cui

Cui simul asper si uiolas, hederasq; uirentes,
Cumq; coloratis lilia cana rosis.
Vt Catharina, soror Sigismundi Regis, in illo
Finnoniæ charo cum Duce, sola cubet.
Cum Duce Finnoniæ, nomen cui dulce Iohannis
Corporis ac animi gratia summa dedit.
Dignatoro tali sunt talia munera, Musæ
Et Charites fausto quæ peperere die.
Dux etiam dignus tanta cum compare, quorum
Coniugium signis talibus ornet honos.
Vt Iouis ales enim semper sublimia quærit,
Nec studio muscas sordidior caput.
Vtq; Auibus reliquis per apertas altius auras
Subuolat, & pennis uerberat astra suis.
Sic etiam Sponsus, sic Sponsa ad maxima spirant,
Resq; humiles, mugas despiciuntq; leues.
Ipforum est animus uulgari excelsior aura,
Ac saltem recipit tale libenter opus.
In quo Musarum uigor est, Charitumq; uenustas.
Quodq; aliqua à tantis signa Deabus habet.
Vos igitur Charites, hominumq; Deumq; uoluptas
Blanda quibus facies miteq; pectus inest.
Vatibus ac Musis quæ conciliare soletis
Inculpabilium corda benigna Ducum.
Authores huius quia muneris estis, id ipsum
Illorum ad placidas uos quoq; fert manus.

In quorum sublimē decus, laudesq; superbas,
Hoc ope Musarum composuistis opus.
Fundite uirtutem circum, gratumq; fauorem,
Integer ut uestri nominis adsit honos.
Et quia donatium sunt illa parata decori,
Singuli ut accipiant, cura sit æqua, suum.
Clara Sigismundo tu Regi Aglaia munus
Offer, & ut placido comprobet ore roga.
Sicq; per innumeros successu fulgeat annos,
Atq; suum læto pectore tempus agat.
Et tu Finnoniæq; Duci, Sponsoq; Iohanni
Hoc munus prono redde Thalia genu.
Vtq; boni faciat precibus contende, per omnes
Sicq; efflorescat suauiter ipse dies.
Sic uigeat semper, sic germine crescat alacri,
Improba quod nullo frigore lædat hyems.
Tu uero Euphrosyne Catharinæ porrige Sponsæ
Munus, & insignem uoce precare Deam.
Vt placide ferat, & sic delectabilis omni
Tempore sit Sponso conueniensq; suo.
Iusserat hæc iucunda Venus. Charitesq; tapetum,
Vnanimis habili corripuere manu.
Ac liquidas altis secuere uolatibus auras,
Cum Zephyroq; pares instituere uias.
Indeq; fulgentem properarunt Solis ad ortum,
Surgit ubi Litani Vilna corona soli.

Rex

Rex Sigsmunde Auguste, subest cui maximus orbis
Sauromatum, Arcloii littus ad usque maris,
Tuque Soror tanti Catharina tenerima Regis,
O inculpati Sponsa pudica Ducis.
Tuque potens Dux Finnonia, regni que cohaeres
Suediaci, o generis stella corusca tui.
O firma Aonidum Charitumque columna Iohannes,
Cui datur ex summa regia Sponsa domo
O Regum decora, et praestantia pignora, uobis
Illud si Charites munus opusque ferent.
Este serenati, placidasque ferentibus aures
Praebete, et faciles porcite sponte manus.
Sic ueluti Charites animoque manuque cohaerent,
Firmaque perpetua foedera pace colunt:
Huius amicitiae pactum durabile perstet,
Prima uolatilium dum Louis ale, erit.
Dumque Versus summo scintillans axe, Carinis
Accendat rutilam per freta nigra facem.
Denique Finnonica Dux in regione Iohannes,
Tamque sacri coniunx o Catharina Ducis:
Pectora uestra precor connectat, aduniat, ardet,
Pura fides, concors gratia, firmus amor,

FINIS.

Ex Gymnasio Reipublicae
Dantiscanae.

153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]



A V L Æ V M GRATIARVM.

VRSVS
FINLANDICVS.



AQVILA
POLONICA.

IN HONOREM ILLVSTRISSIMORVM,
SERENISSIMORVM, AC POTENTISSIMORVM
Principum ac Dominorum.

D. SIGISMVNDI AVGVSTI, REGIS
Poloniæ, Magni Ducis Lituaniæ, &c.

D. IOHANNIS, DVCIS FINLANDIÆ, REGNO-
rumq; Suetiæ, Gothiæ, Vandalicæ, &c. heredis.

D. CATHARINAE, INCLYTO HVIC DVCI, A SERE-
*nissimo illo Rege, fratre Germano, in matrimonium
traditæ.*

HENRICVS MOLLERVS HESSVS.

REGIOMONTI BORVS-
sæ in officina Iohannis Daub-
manni.

*Clarissimo et doctissimo viro Dno M. Sp.,
basiano Theodoro, Academiae vici-
bergen. professori, preceptorum Coloni-
do notheris mittit.*

